

rimus; potest tamen de congruo fallibili, juxta illud Jacobi 5. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Hinc Deus iratus amicis Job, eos remittit ad illum, ut pro ipsis oret, et impetrat veniam peccati eorum; et August. Serm. 2. de Sanctis, ait: *Si Martyr Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet.*

## TRACTATUS VII.

### DE ACTIBUS HUMANIS.

**Nota.** Agemus hic de fine, natura, et moralitate actuum humanorum.

#### CAPUT I.

##### De fine actuum humanorum.

Quaeres 1. **Quid sit finis?**

*Resp.* Definitur: *Id, cuius gratia aliquid fit.*

Dicitur 1. *id*, hoc est, bonum, sive verum, sive apparens, quia voluntas a solo bono allici et moveri potest.

Dicitur 2. *Cujus gratia:* id est, cuius amore et fruendi desiderio agens operatur.

Dicitur 3. *Aliquid fit:* id est, assumitur medium, quod ad finis assecutionem inservire posse judicatur. Hinc patet finem esse primam omnium causarum.

Quaeres 2. **Quomodo dividitur finis?**

*Resp.* 1. Dividitur in finem, *qui, cui, et quo.*

*Finis qui*, est objectum quod per media consequi intendimus; unde vocatur ab aliquibus, *finis objectivus*.

*Finis cui*, est suppositum cui appetimus finem *qui*,

### De Actibus Humanis.

### 287

sic proximo appetimus sanitatem, beatitudinem, &c.

*Finis quo*, est actio qua *finis qui* possidetur: unde vocatur etiam *finis formalis*. Sic Deus est *finis qui*, seu *objectivus* hominis, et visio beatifica est *finis quo*, seu *formalis*.

2. *Dividitur*, in finem *operis* seu *intrinsecum*, et finem *operatoris*, seu *extrinsecum*.

*Finis operis*, est res illa ad quam opus ex se ordinatur... *finis operatoris*, est ille quem sibi proponit operans: sic in eleemosyna *finis operis*, est sublevatio pauperis, *finis operatoris*, est vel amor Dei, vel vana gloria, &c.

3. *Dividitur*, in *ultimum*, et non *ultimum*, seu intermedium.

*Finis ultimus*, est is qui ita intenditur, ut in eo sistatur.... *Finis non ultimus*, seu, *intermedius*, est is qui ita intenditur, ut ad ulteriorem finem referatur, tale est pharmacum quod intenditur propter sanitatem.

Porro si *finis ultimus* sit talis in uno tantum genere, dicitur, *respective ultimus*. Si sit talis in omni genere, ita ut ad aliud referri non possit, dicitur, *ultimatus*, talis est solus Deus.

Quaeres 3. **Quid intelligitur per effectum finis?**

*Resp.* Intelliguntur actus quibus voluntas tendit in finem.

Quaeres 4. **Quot sunt effectus finis?**

*Resp.* Sunt octo; scilicet:

1. *Volitio*, seu amor simplex et complacentia, qua bonum voluntati propositum, placet, abstrahendo ab ejus possibilitate aut impossibilitate.

2. *Intentio*, hoc est, desiderium efficax finem obtinendi per media consentanea.

3. *Consilium*, quo inquiruntur media ad finem consequendum aptiora. Hic actus, licet sit ab intellectu elicitus, est tamen effectus finis, quia est imperatus ab intentione efficaci voluntatis.

4. *Consensus*, quo approbantur et acceptantur media ab intellectu ad finem consequendum proposita.

5. *Electio*, quae ex pluribus mediis per consensum approbatis, unum prae alio ad finis consecutionem amplectitur.

6. *Imperium*, quo voluntas imperat usum mediorum, quae, post debitam deliberationem, electa sunt.

7. *Usus*, quo voluntas seipsam, aut alias potentias applicat ad mediū electi executionem.

8. *Fruitio*, qua voluntas suaviter quiescit in boni amati possessione. Unde est delectatio ex amore et praesentia rei amatae causata.

Quaeres 5. *Utrum voluntas e duobus mediis possit eligere minus idoneum, relecto magis idoneo?*

Resp. affirm. Quia voluntas est libera, et medium magis idoneum non est necessarium. Tamen, ut elec-  
tio sit recta et honesta, debet eligi medium magis idoneum; alias electio fieret imprudenter.

Quaeres 6. *Utrum quidquid homo vult deliberate, illud velit propter finem ultimum?*

Resp. Illud vult implicite saltem et virtualiter propter finem ultimum spectatum confuse et in communi, quia semper operatur ut bene sibi sit; non autem illud vult semper propter finem ultimum spectatum in particulari et determinate; quia talis finis est Deus; atqui quidquid homo vult deliberate, illud non vult propter Deum, quia plura vult quibus se avertita Deo; ergo.

Quaeres 7. *Utrum homo possit agere simul et semel propter plures fines ultimos adaequatos et totales?*

Resp. Non potest. Quia de ratione finis simpliciter ultimi, totalis, et adaequati, est, quod omnia ad ipsum, ipse vero ad aliud non referatur; atqui repugnat simul dari duo ultima hujusmodi; ergo, &c. Hinc gentiles, qui plures sibi proponebant deos, rationem finis ultimi inter eos dividebant, ita ut unum

pro uno bono largiendo, alium pro alio colerent.

Quaeres 8. *Quis est finis ultimus hominis?*

Resp. Est beatitudo, quae definitur: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*.

Quaeres 9. *Quotuplex est beatitudo?*

Resp. Duplex: *objectiva*, quae est bonum cuius pos-  
sessione satiatur appetitus hominis, et *formalis*, quae  
est actio, qua, cum summo voluptatis sensu, posside-  
tur objectum beatitudinis.

Quaeres 10. *Quid est beatitudo hominis objectiva?*

Resp. Est Deus, quia solus potest hominis animam  
ita satiare, ut nihil amplius ipsi desiderandum supersit,  
juxta illud D. August. lib. 19. De Civit. Dei, cap. 26.  
*Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec  
requiescat in te.* Hinc sequitur res terrenas, puta ho-  
nores, dvitias, scientias, &c. animam occupare posse,  
nullatenus satiare.

Quaeres 11. *In quo consistit beatitudo formalis?*

Resp. Thomistae eam reponunt in visione Dei in-  
tuitiva: *Scotistae*, in solo amore fruitivo. Tandem  
plurimi in gaudio beatifico, quod definitur: *Intimus  
ac suavissimus creatae mentis sensus, quo mens adeo  
sibi conscientia est se bene esse, ut nihil ultra expetat.*  
Horum sententia probabilior est: nam 1. Scriptura  
*Math. 27.* dicit: *Intra in gaudium Domini tui.* Et  
D. August. lib. 10. Confess. cap. 23. *Beata vita,* in-  
quit, *est gaudium de veritate.* 2. Beatitudo formalis,  
est status beati, quo in summo bono clare viso et  
amato, tanquam in suo fine ultimo omnimode satia-  
tus, suavissime conquiescit; atqui talis status forma-  
liter habetur per gaudium, ut constat ex ejus defini-  
tione; ergo.

Quaeres 12. *Quot sint dotes animae beatae?*

Resp. Sunt tres, nempe inamissibilitas gloriae, im-  
peccabilitas, et modus quo Deum diligit. Itaque:

1. Beatitudo est *inamissibilis*, alias cum timore pos-

sideretur, et sic non esset status omnium bonorum aggregatione perfectus.

2. Beati sunt *impeccabiles*, nam peccatum quod est aversio a Deo, compati non potest cum amore beatifico, qui est intima unio cum Deo.

3. Beati necessario amant Deum, tum necessitate specificationis, ita ut non possint eum odisse, tum necessitate exercitii, ita ut non possint ab ejus amore cessare.

Quaeres 13. *Quot sint dotes corporis beati?*

*Resp.* Sunt quatuor, quas refert Apostol. 1. Corinth. 15. nempe, *impassibilitas*, qua excluditur a corpore beati omnis passio corruptiva. *Subtilitas*, qua redditur alterius corporis penetrativum: *Agilitas*, qua redditur imperceptibiliter ac celerissime mobile: *Claritas*, qua redditur luminosum et simile crystallo.

Quaeres 14. *Quid sit aureola?*

*Resp.* Est animae beatae gaudium accidentale de excellenti victoria sua, in corpus speciali fulgore redundans.

Quaeres 15. *Quot sint aureolae?*

*Resp.* Sunt tres. 1. est Martyrum, qui de mundo, 2. Virginum, qui de carne; 3. Doctorum, qui de diabolo triumpharunt.

## CAPUT II.

### *De natura actuum humanorum.*

Quaeres 1. **Q**uid sit *actus humanus?*

*Resp.* Est ille, qui procedit a voluntate cum rationis advertentia et libertate.

Dicitur 1. *Qui procedit a voluntate*: sive immediate, ut amor, odium, &c. et tunc dicitur, *actus elicitus*; sive mediate, ut meditatio, ambulatio, &c. et tunc dicitur, *actus imperatus*; quatenus ex imperio voluntatis elicetur ab alia potentia, nimurum meditatio

ab intellectu, et deambulatio a potentia motrice.

Dicitur 2. *Cum rationis advertentia et libertate*: per quod distinguitur ab *actione hominis*, quae naturaliter procedit ab homine absque rationis advertentia et libertate.

Ergo in actu humano duo spectanda sunt, scilicet voluntarium, et liberum. Agemus ergo 1. de voluntario, et involuntario. 2. De libero.

### QUAESTIO I.

#### *De voluntario, et involuntario.*

Quaeres 1. **Q**uid sit voluntarium?

*Resp.* Est id quod est a principio intrinseco cum cognitione singulorum in quibus est actio.

Dicitur 1. *Id*, hoc est, actio, vel passio, vel omissione.

Dicitur 2. *Quod est a principio intrinseco*; nempe a voluntate, ut distinguatur a violento, quod a principio extrinseco prodit. Unde violenta tractio in carcere non est voluntaria in eo qui trahitur.

Dicitur 3. *Cum cognitione singulorum in quibus est actio*: id est finis et circumstantiarum. Hinc si una circumstantia omnino sit ignorata, actio quoad illam non est voluntaria. Si cognitio sit perfecta, voluntarium est perfectum; si sit imperfecta, est imperfectum.

Quaeres 2. *Quomodo dividitur voluntarium?*

*Resp.* 1. Dividitur in expressum, quod Verbo, aut alio signo declaratur; et tacitum, quod colligitur ex aliquo facto, vel facti omissione, juxta hanc regulam juris: *Qui tacet, consentire videtur*. Porro taciturnitas aequivalet consensui in duobus casibus tantum. 1. Cum aliquid favorable proponitur. 2. Cum, qui tacet, loqui tenetur.

2. Dividitur in directum, quod in se ipso est volitum,

vel actualiter, vel virtualiter. Et in *indirectum*, quod licet non sit in se ipso volitum, est tamen volitum in sua causa. Porro ad voluntarium indirectum tria requiruntur. 1. Ut operans praevideat, aut praevidere possit, et debeat, effectum hunc ex hac causa sequuturum esse. 2. Ut effectum hunc impedire possit, ejus causam auferendo. 3. Ut hanc causam auferre teneatur, aut saltem nullum jus habeat eam ponendi; quia nimis nulla subest eam ponendi necessitas aut utilitas.

Quaeres 2. *Quid sit involuntarium?*

*Resp.* Est, *id quod vel est a principio extrinseco*, ut ea quae fiunt ex violentia, vel metu; *vel a principio extrinseco quidem, sed sine cognitione*, prout contingit in his quae fiunt per passionem, vel per ignorantiam de quibus sit.

### § I. De involuntario per violentiam et metum.

Quaeres 1. *Quid est violentum, seu coactum?*

*Resp.* Est, *id quod est a principio extrinseco, in contrarium resistente passo*. Quod si passum totis viribus, quantum potest et debet, resistat, dicitur *violentia absoluta*. Si vero resistat aliquo modo, sed non quantum potest et debet, dicitur, *violentia secundum quid.*

Quaeres 2. *Utrum omnis violentia tollat voluntarium?*

*Resp.* Violentia *absoluta* omnino tollit voluntarium, quia actio nullatenus procedit a voluntate: violentia vero *secundum quid* non tollit voluntarium, sed minuit tantum, quia voluntas non resistit omnimode; ergo actio sic coacta procedit partim a voluntate, partim a principio extrinseco.

Quaeres 3. *Utrum voluntas possit cogi?*

*Resp.* Non potest cogi *quoad actus elicitos*: quia actus elicitus voluntatis est essentialiter volitio; ergo est essentialiter voluntarius.

Dixi: *Quoad actus elicitos*: quia potest cogi *quoad actus aliarum potentiarum*, sed tunc non sunt a voluntate imperati.

Quaeres 4. *Utrum quae sunt ex metu gravi sint involuntaria?*

*Resp.* Sunt absolute et simpliciter voluntaria, et secundum quid tantum involuntaria, quia licet consensus detur cum repugnantia, nihilominus datur, ac proinde licet a tanto peccato excusent, non tamen excusant a toto.

*Nec dicas:* Matrimonium et votum solemne ex metu gravi celebrata, sunt invalida; ergo sunt absolute et simpliciter involuntaria.

*Resp. Dist. ant.* Sunt invalida jure ecclesiastico, conc. jure naturali, *nego*. Non ergo sunt invalida defectu voluntarii, sed sunt invalida, quia Lex ecclesiastica ea irritat.

### § II. De involuntario per concupiscentiam et ignorantiam.

Quaeres 1. *Quid sit concupiscentia, seu passio?*

*Resp.* Est, *motus appetitus sensitivi bonum sensibile prosequens, vel malum sensibile fugiens*. Concupiscentia sic sumpta, vel est *antecedens*, quae praecedit voluntatis consensum quem allicit: vel *consequens*, quae excitatur, seu imperatur a voluntate.

Quaeres 2. *Utrum concupiscentia antecedens causet involuntarium?*

*Resp.* Ex una parte auget, et ex altera minuit voluntarium: nam ad voluntarium perfectum duo requiruntur, nimis, *propensio voluntatis in objectum*, et *cognitio singulorum in quibus est actio*; atqui concupiscentia antecedens auget propensionem voluntatis in objectum; minuit vero cognitionem eorum, in quibus est actio; ergo.

*Objicies.* Concupiscentia antecedens semper minuit liberum, ut constat ex iis motibus qui secundo primi dicuntur, imo quandoque tollit liberum, ut constat ex iis motibus qui primo primi dicuntur, qui ideo non sunt peccata, quia absque rationis advertentia et voluntatis consensu exurgunt; ergo semper minuit voluntarium.

*Resp. Nego conseq.* Nam ratio voluntarii sita est in propensione voluntatis, ratio vero liberi sita est in indifferentia voluntatis: atqui potest minui, imo quandoque tolli indifferentia voluntatis, etsi non minuatur ejusdem propensio in objectum; ergo, &c.

*Quaeres 3. Utrum concupiscentia consequens tollat voluntarium?*

*Resp. negat.* Econtra auget voluntarium, et liberum, quia voluntas eam vult et imperat, ut majori nisu objecto pravo, quod insequitur, fruatur, sive velit concupiscentiam in se, eam nempe impellendo in pravum objectum; sive eam velit in causa, fovendo nimirum pravos habitus quibus impellatur in pravum objectum. Ex quo sequitur peccatum ex pravo habitu perpetratum, esse gravius eo, quod tantum semel fuit admissum.

*Quaeres 4. Quid sit ignorantia?*

*Resp. Est, carentia cognitionis debitae.*

*Quaeres 5. Quotuplex est ignorantia?*

*Resp.* Duplex, alia juris, alia facti, et utraque est vel vincibilis, vel invincibilis.

*Ignorantia juris,* est ea qua lex ignoratur; v. gr. si quis ignoret affinitatem dirimere matrimonium.

*Ignorantia facti,* est ea, qua ignoratur aliquod factum particulare esse legi contrarium; v. g. si quis sciens affinitatem dirimere matrimonium, ignoret eam, cui nubit, sibi esse affinem.

*Ignorantia vincibilis,* est ea, quae potuit ac debuit vinci; v. gr. studio, et diligentia debita. Haec vel est

affectata, qua quis expresse vult ignorare, ut liberius peccet; vel crassa, qua quis non quidem expresse vult ignorare, sed non curat ea addiscere quae potest et tenetur scire.

*Ignorantia invincibilis,* est ea, quae, adhibita sufficienti diligentia, non potuit vinci.

*Quaeres 6. Utrum detur ignorantia invincibilis juris naturalis?*

*Resp.* 1. Non datur circa prima principia, nec circa proximas earum conclusiones; v. gr. circa precepta Decalogi, quia eorum cognitio tam evidens est, ut sine difficultate haberri possit: nullus quippe est, qui non videat veritatem hujus primi principii: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* ex quo facilis negotio concludit: *Ergo non est furandum, occidendum, &c.*

*Resp.* 2. Potest esse ignorantia invincibilis juris naturalis, quoad conclusiones a pri*cipiis* magis remotas, qualis est prohibitio usurae, uxorum pluralitas, &c. Ratio est experientia, qua constat homines doctissimos ac sanctissimos in iis conclusionibus sequi opiniones contradictorias; ergo in iis quandoque falluntur.

*Quaeres 7. Utrum omnis ignorantia invincibilis causet involuntarium?*

*Resp.* Causat simpliciter; quia quod fit ex tali ignorantia, fit absque cognitione singulorum in quibus est actio, et contra voluntatis propensionem. Hinc ignorantia invincibilis excusat ab omni peccato, quia ex D. August. lib. De vera religione, cap. 4. *Usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium;* et hoc ita manifestum est, ut nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.... Unde Alex. VIII. hanc propositionem condemnavit: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa, non excusat a peccato formalis.*

Quaeres 8. *Utrum ignorantia vincibilis tollat voluntarium?*

*Resp.* 1. Ignorantia affectata voluntarium et peccatum auget, nendum minuit, quia procedit ex majori deliberatione et affectu liberius peccandi.

*Resp.* 2. Ignorantia crassa, non affectata facit opus simpliciter voluntarium; quia qui agit ex illa ignorantia, vult, saltem indirecte, causam peccati; ergo vult peccatum.

*Resp.* 3. Ignorantia crassa, facit opus involuntarium secundum quid; unde minuit voluntarium et peccatum; quia minuit cognitionem, et fit contra aliquam voluntatis inclinationem, ut patet in eo qui non facta sufficienti diligentia, putans occidere feram, occidit amicum.

## QUAESTIO II.

### *De voluntario libero, seu de libertate.*

Quaeres 1. **Q**uotuplex est libertas?

*Resp.* Duplex, nempe libertas a coactione, seu sponteitatis, et libertas a necessitate simplici.

*Libertas a coactione*, est immunitas ab omni violencia contra voluntatis propensionem ab extrinseco illata.

*Libertas a necessitate simplici*, definitur: *Potentia activa*, quae, positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest ex se agere, vel non agere, aut hoc agere, vel ejus contrarium.

Dicitur 1. *Potentia activa*; scilicet, voluntas.

Dicitur 2. *Quae positis omnibus, &c.* si enim unum ex praerequisitis ad agendum desit, profecto in actu potentia prorumpere nequit.

Dicitur 3. *Ex se*; id est ex propria sui determinatione.

Dicitur 4. *Potest agere, vel non agere*; v. gr. amare vel non amare, et est libertas contradictionis, et exercitii.

Dicitur 5. *Aut hoc agere, vel ejus contrarium*; v.

gr. eligere bonum vel malum, et est libertas *contrarietas*, seu *specificationis*.

Quaeres 2. *Quotuplex sit necessitas?*

*Resp.* 1. Dividitur 1. in *antecedentem*, quae vel rationis et voluntatis usum antecedit, ut fit in motibus primo primis: vel quae licet fiat ex plena rationis advertentia, sic tamen voluntatis consensum indeclinabiliter antecedit, ut eam invincibiliter et insuperabiliter exprimat; talis in sententia Jansenii inducitur *ex delatione relative superiori sive ad bonum, sive ad malum*, cui voluntas nec unquam vult, nec velle potest resistere relative, id est, in his circumstantiis, in quibus versatur.

Dividitur 2. In *necessitatem specificationis*, qua facultas ita determinatur ad unum, ut in oppositum ferri non possit; et in *necessitatem exercitii*, qua voluntas ita determinatur ad actu, ut ab illo non possit abstinere: sic Deus ab amore sui non potest abstinere,

Dividitur 3. In *necessitatem physicam*, quae est antecedens et naturalis ad unum determinatio, qua voluntas ita unum vult, ut aliud hic et nunc velle non possit, et in *necessitatem moralem*, quae est summa difficultas vel operandi bonum, vel abstinendi a malo, quae tamen actu et de facto vinci potest, qualis ex inveteratis habitibus contrahitur.

Quaeres 3. *Quaenam requiritur libertas ad liberum arbitrium?*

*Resp.* Requiritur libertas a simplici necessitate, nec sufficit libertas a coactione: nam SS. PP. Pius V. Greg. XIII. Urbanus VIII. damnarunt has Baji propositiones: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit: sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Ergo liberum arbitrium non consistit in solo voluntario; ergo ad merendum vel demerendum non sufficit sola libertas a coactione. *Ratio est*, quia ea sola potentia est libera libertate arbitrii, quae, po-

sitis omnibus ad agendum paerequisitis, potest agere, vel non agere; ergo ea potentia non est libera libertate arbitrii, quae, positis omnibus ad agendum praerequisitis, non potest suum actum suspendere, sed invincibili necessitate ad unum determinatur.

*Objicies 1.* D. August. lib. 2. De lib. arb. cap. 3. ait: *Illud nos habere in potestate dicimus, quod, cum volumus, facimus.* Atqui actus pure spontaneos et necessarios facimus, cum volumus: ergo, &c.

*Resp. Dist. maj.* Illud habemus in potestate, quod, cum volumus, facimus, ita ut possit non fieri, *conc.* ita ut non possit non fieri, *nego maj.* Actus autem necessarios facimus, cum volumus, ita ut non possimus ipsis non facere; unde non sunt in nostra potestate; nam, *hoc quisque habere in potestate dicitur, quod, si vult, facit; si non vult, non facit,* ait D. Aug. lib. *De spiritu et liti. cap. 31.*

*Objicies 2.* SS. Patres asserunt solam coactionem officere libertati; ergo.

*Resp.* Quod SS. Patres has voces, *cogi, et coactio,* non sumunt stricte, pro violentia proprie dicta, quae repugnat actibus a voluntate elicitis; sed late, pro quacumque necessitate antecedente, ad unum insuperabiliter determinante, ut constat ex eorum dictis.

*Quaeres 4.* *Quaenam in statu naturae lapsae requiritur libertas ad merendum vel demerendum?*

*Resp.* Requiritur libertas indifferentiae, seu a simplici necessitate, nec sufficit libertas a coactione, ut fides docet contra Jansenium, cuius haec prop. damnata est ut haeretica: *Ad merendum, et demerendum, in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Ratio est, quia, ut quis mereatur vel demereatur, debet habere dominium sua actionis, et de ea disponere prout vult; atqui agens ex necessitate, etiam simplici, non habet dominium sua actionis, nec de ea

potest disponere prout vult, tanquam Dominus; ergo &c.

*Objicies.* D. Augus. lib. 1. operis imperfecti, cap.

106. ait: *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi.* Ergo ad demeritum non est necessaria libertas a necessitate.

*Resp. Dist. conseq.* Non requiritur libertas a necessitate morali, *conc.* a necessitate antecedenti physica, *nego conseq.* Addit enim D. Doctor: *Sed ut non obstat ista necessitas, donat ille cui dicitur: De necessitatibus meis erue me.* Ergo loquitur de necessitate morali quae vinci potest per gratiam Christi.

*Quaeres 5.* *Utrum homo lapsus sit liber ad bonum et malum, non solum libertate a coactione, sed etiam a necessitate simplici antecedente?*

*Resp. affirm.* Idque constat ex Scrip. Eccii. 15. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua: *si volueris mandata servare, conservabunt te.... ap- posuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam.* Ante hominem vita et mors, bonum et malum: *quod placuerit ei, dabitur illi.* Ad quae verba, D. Augustinus, lib. *De grat.* et lib. arb. cap. 2. dicit: *Eccc, apertissimi videmus expressum liberum humanae voluntatis arbitrium.* Deut. 30. Moyses Israelitas sic alloquitur: *Testes invoco hodie coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam, et mortem, benedictionem et maledictionem; elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum.* Certe qui potest eligere vitam vel mortem, est liber ab omni necessitate antecedente, etiam simplici et voluntaria.

*Objicies:* 1. Homo lapsus captivatur sub lege peccati, nec facit quod vult, imo facit quod non vult, Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati. Et: *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago;* ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Quoad sensum, conced. quoad consensum, nego ant. loquitur itaque Apostolus de motibus concupiscentiae indeliberatis, quos necessario quidem experimur; et sic sub eis captivamur, nec facimus quod volumus, sed eis non necessario obsequimur, et sic non necessario peccamus.

*Objicies 2. D. August. Enchiridii, cap. 30.* ait: *Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum.* Et in Epist. ad Vitalem, dicit: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus;* ergo.

*Resp. Dist. conseq.* Per peccatum primi parentis amissum est liberum arbitrium, quoad plenam cum immortalitate justitiam, quam habuit in illo statu felicitatis, et quae consistebat in dono integratissim, in immunitate a morte, a concupiscentia inordinata, et ab ignorantia, *conc.* quoad substantiam, *nego.* seipsum explicat D. August. lib. 1. ad Bonifacium, cap. 2. dicens: *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quae in paradyso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia; scilicet, ut libertas aliquid boni supernaturalis elicere possit.*

### CAPUT III.

#### *De moralitate actuum humanorum?*

*Quaeres. Quid sit actus moralis?*

*Resp.* Est, *actus humanus conformis vel difformis regulis morum, vel ab eis permissus.* Unde morale, praeter liberum, dicit ordinem et relationem ad regulas morum.

Agemus de speciebus, principiis, affectionibus, et primaria regula moralitatis.

### QUAESTIO I.

#### *De speciebus moralitatis.*

*Quaeres 1. Q*uot et quaenam sint species moralitatis?

*Resp.* Sunt tres, *nimirum, indifferentia, quam lex permittit; bonitas, quam imperat; et malitia, quam prohibet.*

*Quaeres 2. Quotuplici modo considerari possit actus humanus?*

*Resp.* Considerari potest in specie, *nimirum, quatenus* dicit ordinem ad solum objectum, ad quod ex se tendit. Vel in individuo, *nimirum* quatenus dicit ordinem ad objectum, circumstantias, et finem operantis.

*Quaeres 3. Utrum dentur actus humani indifferentes in specie?*

*Resp. affirm.* Nam varia sunt objecta, quae ex se plane sunt indifferentia ad bonitatem vel malitiam, ut sunt: *ambulare, levare festucam, &c.* Ergo actus humani, spectati in ordine ad objecta illa sola, sunt indifferentes.

*Quaeres 4. Utrum deniur actus indifferentes in individuo?*

*Resp. Negat.* Nam actus in individuo spectatus includit finem operantis; atqui nullus actus spectatus secundum finem, quem sibi proponit operans, est indifferens: nam talis finis est bonum honestum vel jucundum, neque enim potest amari malum quatenus malum; si sit bonum honestum, actus est bonus; si sit bonum jucundum, actus est malus: neque enim licitum est homini in suis actibus deliberatis operari propter solam delectationem, ut definitiv Innoc. XI. *Prop. 8.* et ideo tenetur referre actus suos deliberatos ad honestum.

*Objicies 1. Actus, qui fiunt praecise ad suble-*